

The Electronic Manipulus florum  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Rapina d  
cum fontibus proximo et primo

*Manipulus florum*, Rapina d:

Nostri quoque principes,  
cum  
pauperes delinquentes publice arguant et confundant,  
diuitibus peiora peccantibus nec nutum faciunt  
in quorum domibus rapina pauperum  
dum ecclesie opes sibi thesaurizant et  
in deliciis abutuntur  
que ad sustentationem pauperum  
dantur, et sibi reseruant uel propinquis distribuunt,  
et aliorum inopiam suas uel suorum diuicias faciunt.

Augustinus in glossa super illud Ysaie III.: Quare  
atteritis populum meum?

Fons proximus:

**Quare atteritis populum meum.**

Nostri quoque principes

cum

pauperes delinquentes publice arguant et confundant.  
diuitibus peiora peccantibus nec nutum faciunt.

In quorum domibus rapina pauperum.

dum ecclesie opes sibi thesaurizant. et

in deliciis abutuntur.

Que ad sustentationem pauperum

dantur et sibi reseruant vel propinquis distribuunt.

et aliorum inopiam suas vel suorum diuicias faciunt.

*Glossa ordinaria, liber Isaie*, 3.15 (Biblia Latina cum  
glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).

Fons primus:

Sed et ad nostros principes

referri potest, si atterant subiectam sibi plebem et  
pauperes delinquentes publice arguant atque confundant.  
diuitibus autem peiora peccantibus ne mu quidem facere  
audeant. Et rapina pauperum in domibus eorum est,  
quando replent thesauros suos et Ecclesiae opibus  
abutuntur in deliciis, publicasque stipes,  
quae ad sustentationem pauperum  
datae sunt, uel sibi reseruant, uel propinquis distribuunt  
et alienam inopiam suas suorumque faciunt esse diuitias.

Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam*  
*libri XVIII.*, 2.3.15 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin,  
eds., p.54, ll.21-29).